SCIPII GENTILIS

NEREVS

SIVE DE NATALI

Elizabethæ

Illustriss. Philippi Sydnæi

Filiæ.




LONDINI

Apud Iohannem VVolfium.

1585.

Phot. of HEH 51703


HONI SOIT QVI MAL Y PENSE
QVO FATA VOCANT



ILLVSTRISSIMO viro *Philippo Sydnæo* Scipius Gentilis *S. P. D.*



Arentem te esse nunc primum, Sydnæi, factum gaudent etiam dij, quorum ex numero Nereus hic noster. Eum ego filiolæ tuæ non modo laudes, verum etiam fata canentem feci: facturus Musas: nisi illas maiori nunc quadam cura destringi existimassem legendi mellis, quo infantem istam tuam suauissimo alant, non solum os tingant. Itaq; perpetuæ illæ comites, hospitesq; tuæ tantisper à te discessere, donec omnes apum favos excutiant, ipsumq; Hyblam (si fieri potuerit) in Britaniam transferant, atq; adeò in larem familiarem tuum. Cœterum neq; hic noster, quem dixi, Deus ignarus vatum, & venturi æui. Imò ipse vates est: & is vates, quem ab omni mendacio atq; errore alienum dixit Hesiodus. Cupientem ad te venire dimisi libens. Nec commendo: Satis ipso

ipſo quod præfert Nerei nominĕ commendatus eſt, aliquantulum etiam (ni fallor) authoris meo. Et (dicam enim quod præſagit animus) non vltima vice nunc venit: nec ſemper futura, breui etiam præterita, eaq; ampliſsima, & (vt ſpero) de te ipſo canet. Adſis modò, & Geticum modereris Apolline Martem. *Vale.*



SCIPII GENTILIS

NEREVS.

Forte suis nuper genitor Tamesinus ab antris
Vicinas resonare nouis vagitibus auras
Audierat, plausuq; virûm vada pulsa moueri
Admirans, summa senior prospexit ab vnda,
Canentes glauca velatus arundine crines.
Tum vero egregias turres, sanctosq; penates,
Valsingameæ cernit decora ardua gentis.
Tum videt accensos lucere in turribus ignes
Per noctem, puroq; faces splendescere cœlo
Insolitùm: Læto compleri cuncta tumultu.
Nec iam animi dubitat, primo quin flore puella
Ediderit magnos cœli sub lumina fructus.
Quippe diu hoc meditans optauerat: igneus ex quo
Auulsam natam molli matris complexu
Donauit iuueni, cupidoq; Hymenæus amanti.
Ergo hilaris, certusq; suo se reddidit antro
Spumeus. Hîc illi chlamydem noctesq; diesq;
Vrgebant hyalo nymphæ, muscoq; virenti:
Grandiaq; intextis ornabant fila smaragdis.

Inter quas curâ melior Nesæis, & arte,
Conatur varias per lusum inspergere formas.
Et iam cognatos Troiæ depinxerat amnes:
Iam Simois, Xanthusq; fluunt: nemorosaque sacro
Iminet Ida iugo: & fuluâ puer alite raptus
Aetherias cursu nubes tranare videtur.
Suspiciunt pauidi comites, atq; inscia pubes
Venantum: effusi manibus labuntur & arcus
Et calami, cœlumq; canes latratibus implent.
Omnia quæ Tamesis tolli iubet, atq; ita fatur.
Ite meæ natæ, sacrum genus, ite laborum
Nunc vacuæ, festosq; dies agitate per undas,
Et choreas lustrate pias. Sydneïa quando
Formosam thalamo coniux enixa puellam
Optatum peperit nymphis decus. Ilicet omnes
Sedibus exiluêre suis, Nereia Drymo,
Et Metis & roseis Ciane spectanda lacertis
Clioq;, Clothoq;, Pherusaq;, Cymothoëq;
Candida populeis euinctæ tempora sertis:
Crisæe, Spioq;, Ligeaq;, Lamprothoeq;
Asiaq;, & Melite: quâ non est altera Nais
Doctior herbosam iaculo contingere metam.
Atq; Ione, atq; Halis, atq; Idya Neptunine.
Omnes cæruleæ, Succinctæ pellibus omnes,
Omnes Assyrio perfusæ membra liquore.
Vnum omnes fecêre chorum, passisq; feruntur
Crinibus, & molles agitant per cærula lusus,

Non

Non tacitæ: namq; illæ acrem super aurea Sydnen
Astra ferunt, Sydnen ripæ, collesq; resultant.
Nec minus infanti pulchram cum virgine matrem
Laudibus attollunt: atq; illis humida ferre
Dona parant pelagi, & salsas tentare lacunas.
Quò simul aduenêre, simul connexa soluto
Bracchia diduxêre choro: diuersa per æquor
Discedunt. pars gemmiferas non inscia conchas
In medijs explorat aquis. pars gramina ponti,
Aut imo euellit ramosa coralia saxo.
Hæc etiam scopulis muscum legit: illa virentes
Querit, auens oculis, in parua monilia baccas.
Nec liquidi interea cantus, interue laborem
Cessat amor dulcis Musæ. vidêre canentum
Agmina Nereides: vidit Neptunus, & ipse
Cum Nereo, Phorcusq; senex, Glaucusq; biformis
Et Triton, cui sæpe, cauâ dum marmora concha
Personat, & grato demulcet carmine pisces,
Ipsa suos solita est concedere Thetis amores.
Nunc omnes pariter læti tua magne sub antra
Conueniunt Neptune pater: dulciq; fruuntur
Alloquio. Nereus & fatis ora resoluit.
Veridicus Nereus, cuius non carmina quisquam
Arguet, aut vlli temnent oracula vates.
    Nascere iam pelago Titan, liquidumq; sereno
Axe diem præ te effer agens: ne Phœbe morare,
Sed propera, sed celsa solo cunabula cerne.

Non alias toto micuerunt sidera mundo
Puriùs, aut gelidi tantum fulsere Triones.
Iam luctum Erigone, ferrum iam ponit Orion:
Iam non Oceani mergi timet amnibus Arctos.
Ipsa etiam tanto Tellus lætissima partu
Summittit varios alieno tempore flores:
Canaq; purpureis affundit lilia cunis.
Lilia si tellus fundit, Neptunia regna
Phœniceo mittent grauidas cum murice conchas.
Nos etiam & maiora, etiam meliora feremus
Quum primùm niueo iungetur nupta marito.
Tempore quo tantum, gaudebunt numina quantum
Nec veteris Pelei tædis, Diuæq; marinæ
Non frustra tantùm gaudebunt: nam neq; tantam
Ipse puer Pelei, fatis promissus, Achilles
Neptunio spem fecit auo, regiq; deorum.
Quantam, qui nunc parua, olim Sydneide nympha
Nascetur, fatis Parcisq; volentibus ijsdem,
Sydnei præbet auo. Sed tu, cui fata canuntur
Incipe fatidicos mecum Dea conscia versus.
Non illum Troia procul, & crudelibus aris
Lydia subducet mollis custodia regis,
Feminea indutum palla, nec Syria virgo
Pectere dente comas illum sibi coget eburno.
Incipe fatidicos mecum, precor, incipe versus,
Imo vbi iam pedibus terræ sola pellere primis
Incipiet, pharetram ex humero suspendet, & album

Deyciet

Deijciet Tamesis viridanti margine cycnum.
Mox etiam aut ceruum imbellem, damamue fugacem
Puniceo figet septa inter frondea telo.
Incipe fatidicos mecum dea conscia versus.
Ille vel Armeniæ cursu vestigia Tygris
Præuertet: Zephiro quamuis sit nata parente
Vt prisci memorant Graij: quis crederet auris
Vel tygras fœtas, vel equas? sub vertice Ibero
Tagri montis equas, tygres Euphratis ad amnem?
Incipe fatidicos mecum, precor, incipe versus.
Ille etiam primas duro in certamine palmas
Accipiet, quassans immani robore pinum
Pectus in aduersum. populi quæ gaudia circum
Stantis erunt? qui tum plausus? quæ verba fauentum?
Incipe fatidicos mecum dea conscia versus.
Inde vbi iam puero suadebit firmior ætas
Pubentes florere genas, animumq; virilem
Induet: extremos victor mittetur ad Indos,
Palladis auspicijs, atq; armipotentis Elisæ:
Regnaq; non vllâ findet sulcata carina.
Incipe fatidicos mecum, precor, incipe versus.
Hîc genus in siluis dispersum colliget altis:
Atq; vrbes colere, & mores seruare docebit:
Sydneamq; ab aui dicet cognomine terram.
Incipe fatidicos mecum dea conscia versus.
Inde domum magno patriæ reuocatus amore
Victricem classem multa cum laude reducet:

Non ſine Tritonum cantu, gentiſq; marinæ
Lætitia, plauſuq; & ſquamigero comitatu.
Incipe fatidicos mecum, precor, incipe verſus.
Illius in bello virtutes Sequana ſæpe,
Et Scalde, & creber ſcopulis mirabitur Iſter,
Sidereuſq; Padus: nec tu pulcherrime ſemper
Auriferis tumidus latè Tagus ibis arenis
Submiſſaq; patrem Tameſim veneraberis vrna.
Incipe fatidicos mecum dea conſcia verſus.
Namq; velut piſces, pelagi labente receſſu,
Tethyos incanæ, ſubmotæq; incola Thules,
Adueniens, nuda paßim concidit in acta:
Hoſtilis ferro proſternet corpora turbæ.
Incipe fatidicos mecum, precor, incipe verſus.
Atq; illis multos numeroſo funere luctus
Funeraq;, luctumq; alijs præbebit: & vnus
Omnibus, vt nautis ſcopulus vitabitur horrens.
Incipe fatidicos mecum dea conſcia verſus.
Sola in eum cupidos, virgo defiget ocellos
Regia, ab aduerſa ſpectans certamina turri:
Sola illum incolumem cupiet, Diuiſq; benignis
(Vt quondam ob flauum Minois Theſea virgo)
Multa ſilens roſeo promittet dona labello.
Incipe fatidicos mecum, precor, incipe verſus.
Quid pacis referam laudes? hoc vindice legum
Mortales iterum Cœtus, vrbeſq; reuiſet
Iuſtitia, & læta ditabit fruge colonos.

Incipe

Incipe fatidicos mecum dea conscia versus.
Ac velut Aegeo in magno quibus Anthias vndis,
Ille sacer miseris gratusq; natantibus errat:
Nulla illic Cete, nulli versantur Echini:
Sic quacunq; feret sancta cum virgine gressus,
Nulli illic vepres, nullæ nascentur auenæ.
Incipe fatidicos mecum, precor, incipe versus.
Ergo age, disce tuos iam nunc Sydneis honores,
Feliciq; tuos risu iam disce parentes,
Qui te solam oculis, solam te mente requirunt.
Incipe fatidicos mecum dea conscia versus.
Aspice purpureo properantem gurgite solem,
Plaudentesq; polo flammas: simul aspice flammas,
Vt cœlum inuitæ phœbo veniente relinquunt,
Incipe fatidicos mecum, precor, incipe versus.
Talia pernoctem muscosa in sede canebat
Veridicus nuper diuino pectore Nereus.
Excepêre Dei plausu: præq; omnibus vdæ
Nereides vati primùm assiluêre marino.
At vero gemini curru Delphines eodem
Cornipedum in morem iuncti, per liquida ducunt
Regna senem. circum Nimphæ comitantur, & omnes
Lasciuæ Nerei pecudes, simæq; natantes.
Iamq; pruinosos Titan ostenderat axes
Et tremulum roseo spargebat lumine pontum.

FINIS.

Collated & OK